



Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Alberti Doctoris Magni ex Ordine Prædicatorum
Episcopi Ratisponensis De Adhærendo Deo Libellvs**

**Johannes <de Castello>
Albertus <Magnus>**

Antverpiae, 1621

Cap. XLIX. Contra fabulantes qui dicunt ipsum petuisse à Deo
Purgatorium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44148

Paulo primo Eremitæ , de quo simile
quasi legitur, quia cùm in oratione spi-
ritum redderet flexis genibus , mansit
ipsum corpus examine sic extensum ac
si viueret; quod beatus Antonius ita in-
uenit.

CAPVT XLIX.

*Contra fabulantes qui dicunt ipsum
petiuisse à Deo Purgatorium.*

QVIDAM autem phantastici, peruer-
tentes ea quæ quandoque prædi-
cari audiunt, ob suam ignorantiam lon-
gè aliter alijs insinuant quām prædica-
tum sit; quemadmodū de Alberto fieri
contingit, de quo nonnulli recitare so-
lent, quòd petierit deceim dies esse in
Purgatorio : alij dicunt quinque aut
tres, & posteà apparuisse, & dixisse
quòd stultè petiuisset, quia magna esset
pœna. Alij adhuc magis addentes , di-
cunt quòd hoc petiuisset in hunc mo-
dum, dicens ad Angelum qui ad ipsum
missus fuerat : Omnia expertus sum
quæ in mundo sunt, volo etiam experiri
Purgatorium. Hęc & similia alia dicunt
fabulantes; & quia fortassis quidā qui
nimis

nimir leues sunt ad scribendum quæcumque audiunt, possent hanc fabulam tamquam verum aliquid notare, placuit inserere hoc, vnde ortum habeat fabula præfata. Nam in secundo Libro Apum cap. LXXVII. Auctor eiusdem Libri inter alia dicit in hunc modum: *Quanta au-*
tem prudentiæ sit, pœnitentiam agere in
hac vita, exemplum subsequens demon-
strauit. Erat vir fidelis & bonus, sicut
Magister Albertus Ordinis Prædicato-
rum, & post Ratisponensis Episcopus, sibi
ab ijs qui rem familiariter nouerant, tra-
ditum referebat, qui post diutinam pœni-
tentiam quam sanus fecerat, incidit in lan-
guorem grauissimum; quo per annum non
modicè tribulatus, rogauit cum lacrymis
Dominum ut tanto languori finem impo-
neret data morte. Nec mora missus ad eum
Angelus Domini dixit ei: Exaudiuit Do-
minus precem tuam; sed eligas quod vis.
Aut tribus diebus Purgatorij pœna tor-
queberis si nunc decedis; aut si adhuc per
annum in languore manere volueris, sine
ullo Purgatorio ad superos euolabis. Tunc
ille pœnam præsentem recolens, nec futu-
ram aduertens reffondit: Mori potius eli-
go, & non tantum tribus diebus, sed quan-
tum

tum Domino placuerit, in Purgatorio tribulari. Fiat, inquit Angelus, secundum verbum. Nec mora, languens morte solitus est, & eius anima in Purgatorium deportata. Vno ergo exacto die venit Angelus ad locum Purgatorij ubi anima torquebatur; & dixit ei: Quid nunc agis, ô anima, quæ pro languore unius anni tribus diebus elegisti in Purgatorio detineri? Cui anima: O seductor, non Angelus! qui me in pœnis multis aenorum curriculis pro dierum spatiis fecellisti. Et Angelus: Non mora, inquit, sed inestimabili tortura decepta es; quia non nisi unum diem de tribus in Purgatorio peregesti: tamen tu adhuc si retrahere volueris quod elegisti, Dominus miseretur ut ad corpus tuum, quod nondum sepultum est, reporteris, & per annum unum languorem quem expertus es patiaris. Cui anima, Annuo, inquit, ut non per annum tantum, sed usque in finem mundi languore etiam detinear acriori. Hoc dicto anima reportatur ad corpus, & per annum unum languore detenta, multos quibus hoc retulit ad pœnitentiam animauit, & post annum iterato defunctus, transiit ad superna. hæc in Libro Apum. Ecce, hoc exemplum discipulus Alberti, scilicet Tho-

Thomas Brabantinus, auctor Libri Apum, ex ore Alberti se scripsisse refert: insuper dicit, eumdem Albertum hoc audiuisse ab ijs qui rem familiariter nauerant. Quomodo ergo prudens vir Albertus sibi elegisset Purgatorium, cum sciebat hoc non esse petendum ex aliena tam dura experientia. Imò Albertus in Postilla sua dicit, quod viri boni debent sibi dare tribulationes, ut sic purgati euadere possint pœnam Purgatorij. Et certè Albertus optimè sciebat ex fide, quod acerbissima esset pœna Purgatorij: quod probatur ex scriptis ipsius, ubi ponit quid sit Purgatorium, & qualiter ignis agit in animas. Stultum est ergo dicere quod sibi hanc pœnam elegisset.

CAPVT L.

*Destructio alterius fabulae confitæ
loquacitate rudium.*

ALIA fabula est, habens ortum ex aliquibus quæ scribit Auctor Libri Apum. Nam quidam grossi nonnumquam cum libenter aliquid recita-

O re